

Philippus, omnium, qui unquam in Vicecomitum familia
 fuere, bellorum studiosissimus, febre primo, inde ventris
 profluvio vita decessit. Cujus morte consternati populi qui
 illius ditionis erant, alii alia consilia agitare cœperunt.
 Laudenses libertatis nomen secuti, ultro in Venetorum fi-
 dem concessere. Quatriduo postquam hi in fidem recepti
 erant, Placentini & ipsi Venetum intra mœnia acceperunt:
 utramque urbem Jacobus Antonius Marcellus maturo præ-
 sidio firmavit; inde copiis Ollio transmissis, Columbanum
 cum toto fere Laudensi agro paucissimis diebus recepit.
 Mediolanenses interim magno animo bellum a Philippo in-
 choatum, suis auspiciis gerendum suscipiunt, Sforciamque
 suarum copiarum ducem adversus Venetos his conditioni-
 bus declarant, ut si Brixia ex Venetis capta esset, Sforcia
 quæsitâ videretur; si & Verona, tum Brixiam Mediola-
 nenses haberent, ipse autem Veronam. Audita Philippi
 morte, confestim ejus duces per literas Sforcia hortatus di-
 citur, ut bono essent animo: affuturum se, si a Mediola-
 nensibus vocaretur, ac tum, junctis copiis, fore ut Venetæ
 opes statim postea frangerentur. Declaratus igitur Medio-
 lanensium Imperator Cremonam transiit, inde Abdua ad
 Pisleonem superato, cum Francisco & Jacobo Picininis &
 aliis Philippi ducibus castra jungit. Hinc paulo post pro-
 fecti, Columbanum paucis diebus oppugnatum receperunt.
 Venetæ interim copiae, quia viribus hostium se impares vi-
 debant, in Laudensi agrum concessere. Ticinenses & ipsi
 sua studia secuti, Sforcia ex Blanca filium ob avitam me-
 moriam suæ urbis Comitem declarant. Mediolanenses, pau-
 cis diebus triplici legatione alia super aliam missa, res quæ
 Philippi fuerant, a Veneto repetunt. Eodem ferme modo
 semper legatis responsum est: Etsi quæcunque Veneti loca
 ex Philippi principatu ad eam diem occupassent, jure bel-
 li sua facta videri poterant; ut omnes tamen intelligerent,
 Venetos magis studiosos pacis esse, quam belli, paratos
 esse se omnia petentibus restituere, si immensum auri pon-
 dus quod bellorum sumptus hausissent, sibi bona fide Me-
 diolanenses vellent dissolvere. At illi nihil promittentes,

1447

*Philippis
mors.**Venetis
Laudem
& Placen-
tiam in fi-
dem reci-
piunt.**Mediola-
nenses co-
piarum du-
cem Sfor-
ciam adver-
sus Venetos
eligunt.*